

Hic sylo, bethoron, ierusalem, mons quoque, templum.

Posthaec incipiunt Biblia. In his *Esdras* et *Nebemias* unus Liber videri possent, nisi in *Nebemia* Capita denuo ab I. ordirentur. Interim tamen III. *Esdrae* apocryphus inscribitur II. *Judith* et

XXV.

R. 1687 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 318. 8. maj. ejusdem rationis cum praecedente, nisi quod caractere minori et tenuiori perscriptus sit, haec sibi propria habet. In anteriore theca lego: *Dominus stephanus de wuldersdorff capellanus domini Thome Krafft Procuratoris fratrum minorum in Egenburga In anno Jubileo tempore peregrinationis sue reliquit predictis fratribus pro valete hanc bibliam 1477.* Putem erratum in hoc numero; Jubileum enim istud *Romae* jam a. 1475. agebatur. Foliis aliquot ante *Biblia* vacuis duo infarcta sunt, et quidem rudi manu, ut saepe splendidissimos Codices deturpatos videas, inepto quodam membranae aut chartae parcendi studio: primo *Speculum Monachorum editum a beato Bernardo*, quod incipit: *Si quis emendacionis vite desiderio tactus &c.* nec est *Bernardi*, sed *Arnulfi de Boeriis*, ut T. VI. *Biblioth. Cisterc.* detexit *Tisserius*, interim tamen etiam legitur in edit. *Maur. Bernardi* T. V. col. 799. Secundo: *Scala Claustrali* hoc initio: *Cum die quadam corporali manuum labore &c.* sine

Esther Tobiam praecedunt. *Job*. I. c. 5. Testimonium terrestre scriptum est ante coeleste et omittit: *et hi tres unum sunt.* Ad calcem nulla hebr. et graec. Nominum Interpretatio.

nomine Autoris, qui est *Guigo Carthusianus*, quamvis inter *Bernardo* olim adscripta T. cit. col. 311. reperiatur. In *Bibliis* deinceps *Josue*, *Judices* & *Salomonis* Libelli, exceptis *Canticis*, Elenchum Caputum praeferunt, post *Epistolam Pauli ad Hebraeos* comparet etiam spuria ad *Laodicenses*, denique *Apocalypsis* praecedit *Epistolas VII. Canonicas*, ubi I. *Job*. c. 5. duplex testimonium cum Cod. praecedente consentit.

XXVI.

R. 3241 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 341. 8. per duas columnas minutissime, sed nitidissime perscriptus, coloribus et literis initiorum deauratis, speciosus, atque inter libros Bibliothecae Civicae *Vindobon.* in Palatinam coemtus *Biblia sacra* vulgatae interpretationis Prologis *Hieronymianis* et solitis Argumentis, quorum tamen aliqua a secunda manu accesserunt, ordine consueto complectitur. In iis describendis lapsus est aliquoties *Librarius*. Prologum in *Josue* cum aliis praemisit *Genesi*. Librum *Judicum* insignivit: *Incipit liber Judicum, qui intitulatur Josue.* Ante Pro-